

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0424

0422

0428

0418

0433

0413

0473

0373

0523

0323

0923

410

ejus dabant, fructus tamen flores illos delectabiles subsequentes non sunt, nisi spinac acutissimac, albae quidem usque ad aculeum, quem rubeum habent, ac si essent sanguine tineta, et est adeo acutus, quod levissimo et tenuissimo tactu laedit manum, creduntque nonnulli aculeum veneno ex sua natura infectum, ut ea de causa ita faciliter laedat. Nonnulli dicunt coronam Domini Jesu de talibus spinis plexam, cum etiam circa Jerusalem crescant. De his arboribus spinosis multos per desertum vidimus, volui tamen de hac specialem facere mentionem propter Sarracenorum et Arabum superstitiones, quas exercent juxta eam. Nullus enim per eam pertransit, qui non de sua veste peciam discerpat et peciam ad arborem suspendat, unde adeo repleta est peciis dilaceratis, quod homo a longe eam videns putat, eam habere folia alba. De hoc vide infra fol. 33. (a) et fol. 63 dicitur causa illius ritus. Stabant etiam ibi multae et magnae arbores ficu, sicut querci, quae pendebant plenae fructibus, alterius tamen speciei a ficibus communibus, de quibus collegimus et comedimus. Dicuntur tamen ficu illae ficu Pharaonis et septies in anno producunt arbores illae fructus ex se, non mediocres, sed bonos valde.

(29 a) Die advesperante venimus juxta quandam villulam Lebhem dictam et ibi depositis sarcinis et fixis tentoriis manere oportuit. Libenter enim nos peregrini longius processissemus, sed ductores nostri nolebant. Dixit autem nobis Calinus, quod quieti essemus, quia statim venirent dies et loca, in quibus labor et miseria nobis immineret et bestiis, ideo non oportere in principio festinare, sed paulatim arduum laborem aggredi. Porro tentoria nostra fixa erant juxta quendam puteum, cisternam veterem, magnam et altam, quae non habebat aquam, nisi modicam crassam. Hanc cisternam nominant Sarraceni puteum S. Mariae. Dicunt enim, quod Joseph ducens Virginem cum puero Jesu in Aegyptum defectu aquae coactus a via regia huc declinavit et hic aquam accepit, Christo filio, matri et pro se. Nos vero, quia aquam non reperimus in eo, misimus asinarios nostros cum asinis et utribus ad alium longe distantem puteum et aquam inde nobis attulerunt. Stabat etiam prope nos muschea, quae erat villae

Ende

Anfang